

Caixa

CPI


VII

N. 1

~~CP~~  
CP

13/12/82

P. Lajiv.



BREV. (35)



VII No. 1

# IN NOMINE DOMINI AMEN

Incepit publica & tractio hujus Brevis Sanctitatis sue favore Ecclesie S. Marię Lauretanę Nationis Itale in Civitate Ulixbonen.

Cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1726, die vero 31 Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Benedicti, Divina Providentia, 88. XIII. Anno ejus 3.º Ego Notarius publicus infrascriptus vidi, legi, et diligentèr inspexi quasdam litteras Apostolicas in forma Brevis sub Annulo Piscatoris expeditas sanas, et integras tenoris, ut sequitur.

**A**

## BENEDICTUS XIII.

Tenor dicti Brevis per extensum, in quo enunciatur emptio cujusdam Fundi facta à Negotiatoribus Itale de Anno 1518

Ad perpetuam rei memoriam Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filij Provisor, Officiales, et Confratres Confraternitatis Ecclesie sub Invocatione Sanctę Marię de Laveto Nationis Itale in Civitate Ulixbonen. canonice, [ut asseritur] erectę, quod cum alias, nempe usque de Anno 1518 Universitas Mercatorum ejusdem Nationis, quemdam situm propè, et extra Mœnia, et Portam Sanctę Catharinę dicte Civitatis emissent, situm prefatum Donatione irre-



20  
B

Dicti Fundi donatio  
favore Rmi Capituli  
Lateranen.

vocabili inter vivos donavit tunc existentibus  
Capitulo, et Canonici Ecclesie Sancti Joannis in  
Laterano de Urbe, qui per eorum Patentes litteras

C

Facultas ei concessa à  
prefato Capitulo in  
vim Constitutionum  
Apostolicarum fabri-  
candi in eodem situ  
unam Ecclesiam sub  
dicta Invocatione S.  
Marię de Aureto exem-  
ptam à Jurisdictione  
Ordinarij, et immedi-  
ate subiectam S. Sedi  
Apostolicę

eidem Universitati facultatem erigendi in ejusmo-  
di situ unam novam Ecclesiam sub prefata Invo-  
catione cum omnibus, et singulis Membris, Domibus,  
ac necessarij habitationibus concesserunt cum am-  
plissima facultate, postquam dicta Ecclesia edifi-  
cata fuisset, ut unam confraternitatem laicorum,  
unum, aut plures Cappellanos ad eorum nutum  
amovibiles instituere possent, eisdemque Capella-  
ni Sacramenta administrare, Missasque, ac divi-  
na Officia absque ulla Ordinarij, ejusque Locum-  
tenentium licentia celebrare, ac etiam cum sole-  
mni pompa, Processione, et cruce elevata defuncto-  
rum confratrum Cadavera in eandem Ecclesiam  
ad Sepulturam deferre valerent absque licentia  
pariter dicti Ordinarij Vicesani ad similitudi-  
nem aliarum Parochialium Ecclesiarum Curie  
Romane, et cum subjectione Capitulo, et Canoni-  
cis, ac Romano Pontifici pro tempore existentibus  
sub



sub annuo, et perpetuo fanone, ac recognitione unam  
mediam libram cereę albę laboratę singulis Annis  
in eadem Urbe solvendi, ac singulis quindecim An-  
nis confirmationem, et renovationem prefati Privi-

D

legii petendi. Que quidem litterę Patentis Conces-  
sionis hujusmodi successive a fel. record. Leone PP.  
Sve decessore nostro per suas litteras confirmatę,  
et approbatę, illisque, superveniente illius obitu, mi-  
nime expeditis, postmodum, scilicet Anno 1523, a pię  
mem. Clemente PP. VIII. pariter Sve decessore nostro  
renovatę, et de novo concessę fuerunt, addita fa-  
cultate construendi in dicta Ecclesia Campanile  
Cum Campanis, et semeterio, ac erigendi Fontem Ba-  
ptismalem cum omnibus prerogativis Ecclesię Parroc-  
chialibus concedi consuetis. Porro cum Anno 1551 pre-

Confirmatio privi-  
concessa a S. M. se-  
one X. et deinde  
expedita per litte-  
ras Apostolicas a S.  
M. Clemente VIII.

de Anno 1523.

E

dicta Ecclesia cum omnibus Edificiis, supellecilibus  
Sacris, et Archivis occasione casualis incendii in fi-  
nevem pedata fuisset, iidem Mercatores Itali que  
proprio eandem Ecclesiam non solum reedificari, sed  
etiã cum majori decore, et magnificentia in eodem

Et demum enunciatur  
alię litterę Patentis  
a d. Capitulo expedi-  
re de Anno 1578 ap-  
probantę reedifica-  
tionis in eodem solo  
Lateranensi novę  
Ecclesię hoc interim  
in cinerem pedatę  
ob incendium casuali-  
te cum dicta exem-  
pti-



prione à Jurisdictione Ordinarij, et sub-  
jectione S. Sedi Apo-  
stolicæ

Solo Lateranensi, et cum eadem subiectione præ-  
fati Capituli, et Canonici, ac Jurisdictione immedi-  
ata huic sanctæ Sedi ampliari curarunt, novasque  
Patentes Litteras Anno 1678 à memorati Capitulo,  
et Canonici sibi concedi obtinuerunt, prout in illo-  
rum, ac Leonis, et Clementis prædecessorum litterarum con-  
tinentur tenore, qui sequitur, videlicet = Capitu-

**F**

Tenor mox dictarum  
Litterarum Patenti-  
um Rmi Capituli La-  
teranens. expedit. de  
dicto Anno 1678

lum, et Canonici Sacrosanctæ Lateranensij Ecclesiæ  
omnium Urbis, et Orbis Ecclesiarum Matris, et capi-  
tis = dilectorum nobis in Christo nobilibus Viris Mercatoribus, et confratribus Confraternitatis Fratrum  
in Civitate Ulixbonen. commorantium salutem  
in Domino sempiternam, et sinceram in eo charita-  
tem. Ordinariam in Ecclesias, Cappellas, Hospita-  
lia, aliaque hia loca in Solo, ac Fundo Sacrosanctæ  
nostre Lateranensij Ecclesiæ constructa, et erecta,  
sive eidem unita, et membra de ejus Corpore ef-  
fecta, potestatem ex benignitate Sedis Apostolicæ  
obtinentes circa earum statum meditationis nostre  
considerationem propensius adhibere nos convenit,



et ea, quæ ad decus, et exaltationem earundem per  
 nos, seu prædecesores nostros concessa fuisse reperi-  
 untur, ut omni prorsus dubio crescant, et illibata  
 perpetuò subsistant, innovare, approbare, et confir-  
 mare, prout in Domino conspiciimus salubriter expe-  
 dire. Cum igitur pro parte vestra nobis expositum  
 fuerit, quod alij mercatores Itali, et confratres præ-  
 decessores vestri Ecclesiam, seu Cappellam sub invo-  
 catione Sanctæ Mariæ de Laureto cum omnibus mem-  
 bris, et Officiis necessariis, et opportunis in quodam  
 Fundo, seu Portio Terræ posito extra, et propè Regia  
 Civitatis Ulixbonen. iuxta ejusdem Civitatis Portam,  
 quæ dicitur Sanctæ Catharinæ prius à præfatis merca-  
 toribus nostræ Sacrosanctæ Lateranensi Ecclesie, et  
 nobis Donatione perpetua, et irrevocabili donato edifi-  
 caverint, et à fundamentis extruxerint, atque in ea  
 Confraternitatem Sacerdotum sub nomine sanctissimi  
 Sacramenti cum Cappellani, aliisque omnibus in Di-  
 vinal officia, et Sacramentorum Administrationem ne-  
 cessariis, sub omnimoda tamen, ac privativa, et imme-



diata Jurisdictione Sanctae Sedis Apostolicae, et no-  
stra, atque ab ordinaria, omnique alia Jurisdi-  
ctione penitus exemptam instituerint, et ordinave-  
rint, vigore facultatum, et Privilegiorum à Capitu-  
lo, et Canonici Praedecessoribus nostris eis concessorum  
sub annuo, et perpetuo canone, ac recognitione  
uniuscujusque fibre levis albae laboratae hic in  
Urbe Roma in manibus pro tempore Camerarii  
nostri singulis Annis in vigilia Nativitatis San-  
cti Joannis Baptistae solvendi, ac sub onere pe-  
tendi, ac obtinendi à nobis in singulis quindecim  
Annis hujusmodi Privilegiorum renovationem, et  
confirmationem aliam concessorum, prout satis in  
litteris sub die 8 Aprilis 1518, scilicet desuper expe-  
ditis continetur, quarum tenor talis est, videlicet =

**G**

Denot primarum  
Litterarum Sacra-  
rium ejusdem Ca-  
pituli expedit. de  
Anno 1518

Capitulum, et Canonici Sacrosanctae Lateranensis  
Ecclesiae dilectis nobis in Christo Nobilibus viris  
Mercatoribus, et confraternitati Italorum in Ci-  
vitate Ulixbonen. commorantium salutem, ac since-  
ram in Domino Charitatem: Sincerae Devotionis af-  
fe-



fecrus, quem vos apud nostram sacrosanctam  
 Lateranensem Ecclesiam, et nos gerere comproba-  
 mini non indignè meretur, ut vestri votis, per quos  
 Divinus cultus suscipiat incrementum, quantum  
 ex benignitate Sedis Apostolicæ possumus, favora-  
 biliter annuamus. Exhibita quidem pro parte ve-  
 stra petitio continebat: vos in quodam vestro  
 Fundo, seu Petio Terræ sito extra, et propè Mensia  
 Ulixbonæ juxta ejusdem civitatis Portam, quæ di-  
 citur Sanctæ Catharinæ per venerabilem virum  
 Petrum de Begozola clericum Premonensem Co-  
 mitem Salatinum Advocatorem vestrum Eccle-  
 siæ nostræ Capitulo, et nobis donatione, quæ di-  
 citur inter vivos irrevocabili, ut in mandatis  
 desuper confectis, et in Archivo nostro asserva-  
 tis, et petentis plenè continetur, nuper vestro  
 nomine donato, unam novam Ecclesiam, seu  
 Cappellam sub vocabulo Sanctæ Mariæ de Lau-  
 reto cum omnibus, et singulis Membris, Officiis,  
 Domibus, et habitationibus opportunis, necessariis,



et consuetis fundare, erigere, atque edificare,  
et in ea si, et postquam edificata fuerit Confrat-  
ternitatem laicorum instituire, et ordinare, ap-  
pellanturque unum, vel plures ad vestram, et  
Successorum vestrorum nutum, arbitrium, et vo-  
luntatem ponere, et amovere, qui omnia, et  
singula Ecclesiastica Sacramenta ministrent,  
Divina Officia, et omniaque necessaria celebrent,  
et faciant libere, et licite absque alicujus Di-  
ocesanii, vel ejus Locumtenentium licentia  
cum omnibus, et singulis gratiis, et favoribus  
similibus concedi solitis, et consuetis. Et pro-  
pterea, ut ad hujusmodi vestrum desiderium  
accedere dignaremur, humiliter supplicari  
fecistis. Attendentes nos itaque, opus hujus-  
modi futurum Christi fidelibus non inutile, per  
quod Divini cultus honor augeatur, et Fide-  
lium Populorum devotio procuretur, una cum  
Bmo in Christo Patre, et D. Jacobo Marsica-  
no Bmo in Christo Patri, et D. Alexandri



Sancti Eustachij Sanctę Romane Ecclesię Diaconi  
 Cardinalis de Farnesio ex Dispensatione Aposto-  
 lica Archipresbyteri Lateranen. in spiritualibus vi-  
 cario capitulariter congregati ad sonum Campa-  
 ne die, hora, et loco soliti, et consueti de more,  
 bobis prefatis mercatoribus, et confratribus Italor-  
 um in civitate Urbis manentibus unam no-  
 vam Ecclesiam, seu Cappellam sub vocabulo Sanctę  
 Marię de Laureto cum Campanili, Campani, Ce-  
 meterio, Altaribus, Fonte Baptismali, et alijs om-  
 nibus, et singulis Membris, Officiis, Dominicis, et  
 habitationibus opportunis, necessariis, et consue-  
 tis fundandi, erigendi, et edificandi, et in ea si,  
 et postquam edificata fuerit, confraternitatem  
 laicorum instituendi, et ordinandi, et recipi-  
 endi, nec non Cappellanum, seu Cappellanos unum,  
 duos, vel plures, prout visum fuerit, expedire ad  
 vestrum, et Successorum vestrorum nutum, ar-  
 bitrium, et voluntatem ponendi, et amovendi,  
 qui de licentia, et auctoritate omnia, et singula



Ecclesiastica Sacramenta ministrent, Missas,  
et alia Divina officia celebrent, Confessiones  
audiant, Confessores debita, salutarique pe-  
nitentia absolvant, infirmis Confratri-  
bus Eucharistiam, et Extremam Unctionem, et  
alia similia necessaria, et opportuna exercent,  
et ad Domos ad Defunctorum Confratrum Corpo-  
ra, seu Cadavera deferenda cum fruce, Processi-  
one, et solemni pompa procedant absque licentia,  
et requisitione aliquorum Sicuti, ac libere pre-  
missa, et alia, quae, et qualia fuerint ad usum, et  
similitudinem aliarum Ecclesiarum, etiam Savo-  
chialium, et in Romana Curia existentium au-  
toritate nostra ordinaria possint, et valeant  
liberam, et exemptam nobis, et Romano Ponti-  
fici tantum subiectam cum omnibus, et singulis  
gratiis, favoribus, immunitatibus, exemptionibus,  
libertatibus, indultis, et indulgentiis gratis con-  
cedimus, reservamus, et elargimur. Volumus  
autem pro recognitione Soli, et Domini nostri



Anni singulis mediam libram cere albe laborate  
hic in Urbe Roma in manibus pro tempore fame-  
variorum Canonorum solvere, et in singulo XV.  
Anno hujusmodi Privilegii renovationem a no-  
bis obtinere teneamini, et Successores vestri in per-  
petuum teneantur, et quoniam in hujusmodi Fun-  
datione Benedictio primarij lapidis, et pro Ecclē-  
sia ipsa edificanda fuerit illius Consecratio neces-  
saria requiratur, cuiusque venerabili Presbyte-  
ro quoad primarij lapidis benedictionem, et Summo  
Antistiti quoad Consecrationem, gratiam, et com-  
munionem Sedis Apostolicę habenti, quos duxe-  
rit requirendos, et quos per presentes gratiose  
requirimus, et ad hujusmodi opera obsequen. omni-  
modas nostras vias, et facultatem tradimus, et  
ad hujusmodi Ecclesiam edificandam Calicibus,  
et alijs Ecclesiasticis Ornamentis decorandam, et  
libentius Christianifideles manus porrigendi adju-  
trices, quo ex hoc dono celestis gratie uberius con-  
spexerint, se esse refectos per presentes omnibus, et



singulis tam confratribus, quam alijs utriusque  
sexus pro huiusmodi edificatione, et ornamenti  
grata impendentibus subsidia, et postquam  
Ecclesia ipsa edificata fuerit, eandem devoti-  
vitantibus in singulis Festivitatibus duodecim  
Apostolorum, et eorum Octavis, decem Annos, et  
totidem quadragenas de injunctis ei peniten-  
tijs in Domino relaxamus, nec non a Domino Deo,  
et Salvatore nostro Jesu Christo, in cuius nomine  
nostra Lateranensis Ecclesia fuit primo conse-  
crata, et sub utriusque Joannis nomine insigni-  
ta, eidem juxta subsidij quantitatem, et devoti-  
onis affectum suorum remissionem omnium pecca-  
torum, animarumque suarum salutem misericor-  
diter consequi, Indulgentiarumque Ecclesie la-  
teranensis per summos Romanos Pontifices con-  
cessarum juxta formam, et exemplum nostrorum  
Privilegiarum participes esse significamus, nec non  
omnes, et singulos contra nostras presentes litte-  
ras auctoritate Sedis Apostolicę concessas veni-



entes sententię excommunicationis, alijque censu-  
 ry Ecclesiasticę subiacere innotescimus, eosque se  
 Divino iudicio existeri, atque à sacratissimo cor-  
 pore, et sanguine redemptoris nostri Jesu Christi  
 alienos fore, atque in extremo examine discri-  
 minis subiacere ultioni. Cunctis autem Ecclesię vestre fu-  
 ra servantibus sit pax Domini Nostri Jesu Christi,  
 quatenus, et hic fructus bonę actionis metat, et apud  
 districtum iudicem premium eterne pacis inveniat.

Amen. In quorum omnium, et premissorum fidem,  
 robur, et Testimonium presentes Camerariorum  
 nostrorum Canonicorum manibus subscriptas, ac  
 nostri Secretarij manu notatas, Capitularique  
 nostri sigilli appensione munitas fieri, tradique  
 mandavimus. Datum Laterani 20 Aprilij Anni 1558  
 Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domi-  
 ni nostri Leonis Papę X. Divina Provi-  
 dentia Anno VII. = Hieronymus Riccius Canoni-  
 cus, et Camerarius Lateranensis = Vincentius Sim-  
 pineus Secretarius Camere Lateranensis = Juve-



naly Canonicy, et Secretarius Lateranen. manu  
propria = = Quodque, ut eadem expositio sub-  
jungebat, memoratorum Privilegiorum, et facult-  
tatum à Prædecessoribus nostris facta concessio  
amplissimè confirmata fuerit, et Apostolicę fir-  
mitatis robore munita per San. Them. Clementem  
VII. per ejus litteras sub Datum VI. Kalendas  
Decembrijs Anni 1523, sui Pontificatus Anno Pri-  
mo, seu alio veriori tempore tenoris sequentis =

**H**

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei = Ad  
perpetuam rei memoriam = Rationi congruit,  
et convenit honestati, ut ea, quę de Romani Pon-  
tificis gratia processerint, licet ejus supervenien-  
te obitu litterę Apostolicę super illis confectę non  
fuerint, suum sortiantur effectum. Indium sequi-  
dem felic. record. Leoni PP. X. Prædecessori nostro  
pro parte dilectorum Filiorum Mercatorum Germa-  
norum nuncupat. in civitate Ulixbonen. commo-  
rantium exposito, quod alius dilecti Filij Capituli,  
et Canonici Ecclesię Lateranen. de Urbe vi-  
gore

Tenor supra enun-  
ciatę Bullę S. M.  
Clementis VII. ex-  
pedit. de Anno 1523  
primis concessę à S. M.  
Leone X.



gore Privilegiorum, et Indulgentiarum <sup>eis</sup> per Romanos  
 Pontifices & predecessores nostros, et sedem Apostoli-  
 cam, ut assererent, concessorum eidem Mercatoribus  
 tunc, et pro tempore commorantibus in dicta civita-  
 te, ut in quodam Fundo, seu Sitio Terre sito extra,  
 et propè Muros dictæ Civitatis, eidem Ecclesiæ, Capitu-  
 lulo, et Canonici per tunc Mercatores præfatos Do-  
 nationis, quæ dicitur inter vivos causa donata, et  
 concessa, unam novam Ecclesiam, seu Cappellam sub  
 Invocatione Beatæ Mariæ de Laureto cum Campa-  
 nili, Campani, Cæmeterio, Fonte Baptismali, et  
 alijs Parrochialibus Insignijs opportunis fundare,  
 et <sup>seu</sup> construere, et in illa unam Confraternitatem  
 utriusque Sexus, ejusque Nationis Personarum  
 institueret, et Cappellanos, qui inibi Missas, et  
 alia Divina officia celebrare, et eidem confratri-  
 bus tunc, et pro tempore existent. Ecclesiastica Sa-  
 cramenta quæcumque ministrare, nec non dece-  
 dentium Confratrum pro tempore Cadavera cum  
 Cruce, et Pompa solemni ad Sepulchram deferre,



Dioecesiani loci, vel cuiusvis alterius licentia  
super eo minimè requisita, possint ad eorum  
nutum ponere, et amovere, et alia tunc expressa  
facere valeant, ac quod Ecclesia, seu Cappella  
hujusmodi prefatis Canonicis, et Capitulo, ac  
Romano Pontifici pro tempore existenti dum-  
taxat subiecta esset, et primarius lapis ipsius  
Ecclesie, seu Cappelle construende, per quem-  
cumque Sacerdotum benedici, ipsaque con-  
struenda Ecclesia per quemcumque Catholicum  
Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apo-  
stolice habentem consecrari possit, nec non  
omnibus, et singulis utriusque sexus Christi-  
fidelibus pro constructione dictæ Ecclesie  
manus adjuvantes porrigentibus decem An-  
norum, et totidem quadragenarum, et forsàn  
alias tunc expressas Indulgentias concesserant,  
et alia forsàn facerant, prout in fidei Paten-  
tibus, seu alijs Scripturis Canonicorum, et Capi-  
tuli hujusmodi desuper confectis plenius di-



cebatur contineri, Et cum pro parte Mercatorum  
 predictorum eidem Prædecessori humiliter sup-  
 plicatum foret, ut concessioni, et alijs præmissis  
 pro illorum Subsistentia firmiori robore Aposto-  
 licæ confirmationis adijcere, aliasque desuper op-  
 portuni providere de benignitate Apostolica di-  
 gnaretur; Idem Prædecessor attendens, quod  
 ad Romani Pontificis spectabat Officium suorum  
 Prædecessorum inherendo vestigijs, quæ pro Divi-  
 ni Cultus augmento, et Animarum Christifi-  
 delium salute providi facta, et gesta erant, ut  
 majorem obtinerent firmitatem sui Præsidij  
 manimine roborare, ac etiam illa de novo conce-  
 dere, prout in Domino conspiciebat salubriter ex-  
 pedire, predictos Mercatores, et eorum quemlibet  
 à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et  
 interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, cen-  
 suris, et penis à Jure, vel ab Homine quavis oc-  
 casione, vel causa latis, si quibus quomodolibet  
 innodati existerent ad effectum infrascripti



1515  
procurum dumtaxat consequen. absolvens, et ab-  
solutos fore censens, nec non litterarum, seu  
Scripturarum Capituli hujusmodi supplicatio-  
nibus inclinatus sub datum <sup>XII</sup> Kal. Martij Ponti-  
ficatus sui Anno VI. Auctoritate Apostolica  
concessionem, et alia singula premissa, ac prout  
illa concernebant omnia, et singula in dictis  
litteris, seu Scripturis contenta, et inde secuta  
quocumque approbavit, et confirmavit, sup-  
plevitque omnes, et singulos tam Juris, quam Fa-  
cti defectus, si qui forsan intervenissent in  
eisdem, ac premissa perpetue firmitatis robur  
obtinere, et inviolabiliter observari debere de-  
crevit, illaque omnia de novo, ac eidem herca-  
toribus pro tempore existentibus, quod in dicta  
erigenda Ecclesia tot, quot eis videretur Cap-  
pellanos ad eorum nutum ponere, et amovere, et  
quoscumque utriusque sexus Christi fideles, qui  
in dicta Ecclesia erigenda sepeliri voluissent,  
soluta in Sarcophagi Ecclesia, cujus Sarcophagi-



ni forent portione per eligentem extra suam  
 parochiam sepulturam solvi solita, sepelire facere,  
 et quascumque Oblationes Christianifidelium, nec  
 non quascumque Mobilia, et immobilia Bona qua  
 cumque causa eidem Ecclesie concessa, et conce-  
 denda in Ecclesie, et Confraternitatis, earumque  
 utilitatem, et opportunitatem convertere, nec  
 non quascumque Statuta tam circa numerum Con-  
 fratrum, et Cappellanorum, et Divini Cultus cele-  
 brationem, quam alia quascumque Ecclesiam, et  
 Confraternitatem huiusmodi, ac illorum Bona  
 quomodolibet, nec non alia conservationem, et  
 felicem statum Ecclesie erigende, et Confraterni-  
 tatis predictarum quomodolibet concernentia li-  
 cita, et honesta facere, ejusdem Dioecesis loci,  
 vel cujusvis alterius licentia super eo minime  
 requisita, libere, et licite valeant concessit, et  
 indulset, ac quod si per quoscumque tam ordi-  
 naria, quam delegata, et mixta auctoritate fun-  
 gentes Judices, et alias Personas ubique judicari,



<sup>deberet</sup>  
et decidi debeat, sublata ei, et cuilibet eorum  
quavis aliis judicandi, et decidendi facultate,  
nec non irritum, et inane, si seui super hijs à quo-  
quam quavis auctoritate scienter vel ignoranter  
contingeret attentari decrevit. Non obstantibus  
Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis,  
Privilegijs quoque, et Indulgijs, ac Litteris Apo-  
stolicis majori, quibusque alijs Ecclesijs etiam Para-  
chialibus Civitatis predictae, et illorum Capitulis,  
Rectoribus, et Personis respective quomodolibet  
forsan concessis, approbatis, et innovatis, quibus  
dictus Leo Praedecessor, illorum tenores pro expres-  
sis habens, illis alijs in suo robore permansuris,  
ea vice dumtaxat quoad praemissa specialiter,  
et expressè derogavit, ceterisque contrarijs qui-  
buscumque. Si autem de absolute, appro-  
batione, <sup>confirmacione</sup> supplicatione, decreto, concessione,  
indulto, et derogatione predictis pro eo, quod  
super illis dicti Leonis Praedecessoris, ejusque su-  
perveniente obitu litteris confectis non fuerunt,



valeat quomodolibet hesitare, ipsique Mercato-  
 res illarum frustratus effectu, volumus, et dicta  
 Apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio,  
 approbatio, confirmatio, decretum, concessio, indul-  
 tum, et derogatio Leonis Prædecessoris hujusmodi  
 perinde à dicta die duodecimo Kalendas Martij su-  
 um sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Leo-  
 nis Prædecessoris sub ejusdem diei datum litterarum con-  
 fectarum fuissent, prout superius enarratur, quodque  
 presentes litterarum ad probandum plenam absolutionem,  
 approbationem, confirmationem, supplementationem, de-  
 cretum, concessionem, indulgendum, et derogationem  
 eorum Prædecessoris hujusmodi ubique sufficiant,  
 ne nec ad id probationis alterius adminiculum requi-  
 ratur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam  
 nostre voluntatis, et decreti infringere, vel ei ausu  
 temerario contrahere. Si quis autem hoc attentare  
 presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et  
 Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se nove-  
 rit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum



Anno Incarnationis Domini, 1523 Sexto Kalen-  
das Decembrii Pontificatus nostri Anno Primo =

I

Cum autem, sicut in vestra expositione contine-

basur, post diuturnum, et laudabilem usum di-

ctae Ecclesiae, et Privilegiorum <sup>sequente</sup> securo de Anno <sup>1651</sup> 1651

casuali, et irreparabili incendio, praefata Ecclesia

cum maximo utriusque Sexus Fratrum tri-

stitia, et ingrore devastata, et consumpta reman-

serit, vos ab adeo lacrymabili eventu in mayo-

rem rebum excitati, atque ad Divini Cultus

augmentum, et Beatissimae Virginis (Aureta-

nae majorem gloriam ardentius inflammati in

praefato situ, seu fundo nobis donato, novam Ec-

clesiam ampliolem, et longe nobiliori structura

ornatam maximis expensis ab Fratrum Mercat-

orum inibi existentium praegloria pietate certa-

tim subministrari edificaveritis, et de novo

extruxeritis, in eaque omni sacra, et sumptuo-

sa suppellectili instructa, denuo cum majori

feruore, et universali edificatione Divina Offi-

cia

Beassumitur, et  
prosequitur tenor  
dictarum Cistervarum  
Patentium Senici  
Capituli Anni 1578,  
de quibus supra  
litt. F.



cia, aliaque sacra, et pia ministeria cum sacra-  
 mentorum administratione Deo, et Beatissima vir-  
 gine favente, juxta primæva laudabilia instituta  
 exercere inceperitis. Verum, quia vel ob canones  
 antea actis temporibus non solutos, et non petitam  
 in singulo decimo quinto Anno Privilegiorum re-  
 novationem, vel ob deperditam lucendi causa ipso-  
 rum omnium memoriam dubitari potest, Ecclesi-  
 am, et Titum prædictum fuisse ad nostrum capi-  
 tulum, et nos legitime devolutum, summopere au-  
 tem expedias pro hujus sui Operis insigni Ita-  
 lorum pietate restituti, felici conservatione, ac  
 feliciori incremento, ut facultates, et Privilegia  
 omnia à Nobis concessa, firma, et inconcussa re-  
 maneant, ac illis tam moderni Confratres, quam  
 illorum Successores tunc gaudere, et uti perpetuo  
 possint, et valeant; Ideo, prævia solutione cano-  
 num decursorum in manibus Camerarii nostri fa-  
 cta, nobis humiliter supplicari fecistis, quatenus  
 in præmissis oportune providere, et, ut infra, quan-



tum S. Sedis Apostolicę benignitate, et auctoritate possumus, indulgere dignavemur. Nos igitur supplicationem hujusmodi ad majorem Dei, Beatissimeque Virginis Marię gloriam ordinatam agnoscentes, atque omnia ad Divini cultus augmentum conducantia alacri animo facere, nec non etiam Nos per admodum præclarum pietatis opus de nobis benemerentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, unä cum Illmo, et Illmo Dno Antonio Laurentio Sacra Sanctissimi Dni Nri Sapę utriusque Signaturę Referendario, Emi, et Rmi Dni Flavij Tituli S. Marię de Populo S. R. E. Presbiteri Cardinalis Chisi nuncupati Sacrosanctę Lateranensiy Ecclesię Archipresbiteri vicario in Papali Romano Lateranensi Patriarchio, ut mos est, capitulariter congregati, auctoritate nostra ordinaria, ac vigore Privilegiorum, et Indulgarum Apostolicorum nobis, et Sacrosanctę Lateranensiy Ecclesię a Summis Romanis Pontificibus concessorum, quibus fungimur, et in quorum usu, et possessione sumus predictę novę Ecclesię in dicto nostro solo edificationem, et antiquę Confraternitatis



Sanctissimi Sacramenti in huiusmodi nova Ecclesia  
 institutionem, et ordinationem, seu continuationem,  
 et repositionem in pristinum in omnibus, et per omnia  
 approbamus, et confirmamus, suppletes, in quantum au-  
 thoritate nostra possumus, omnes, et quoscumque defe-  
 ctus, si qui super premissis intervenissent, nec non omnem,  
 et quamcumque caducitatem, et devolutionem prefati  
 Situs, et Ecclesie, ac Privilegiorum a Predecessoribus no-  
 stris, ut premissis concessorum tam ex causa Canonum  
 in preteritum non solutorum, et non petitorum in singulo  
XV. Anno renovationis, quam ex alia quacumque causa  
 forsitan incurram gratiose remittimus, condonamus, et  
 in pristinum, quo erat, statum plenarie restituimus,  
 atque concessionem soli, et Ecclesie inibi edificate, et  
 facultatum, exemptionum, ac Privilegiorum omnium,  
 que in premissis litteris a nostris Predecessoribus sub  
 die 20 Aprilis 1518, scripsit a S. M. Clemente VIII., ut su-  
 pra confirmatis, et in nostro Archivio Lateranensi  
 asservatis continentur, et explicantur in omnibus, et  
 per omnia confirmamus, et approbamus, eisque inviola-



bilis auctoritatis Apostolicę nobis concessę robur ad-  
jiciamus, et quatenus opus sit, de novo solum antedi-  
ctum, novam Ecclesiam in eo edificatam, ac faculta-  
tes, exemptiones, et Privilegia, omniaque alia in pre-  
fatis litteris Anni 1518 contenta vobis, et Successori-  
bus vestris in perpetuum omni, qua possumus auctori-  
tate tribuimus, et concedimus sub omnimoda tamen  
jurisdictione privativa, et Gubernio S. Sedis Aposto-  
licę, et nostra, ac sub directo dominio Sacrosanctę Ca-  
teranensij Ecclesię, et nostra, in ejus recognitionem  
in singulis Annis perpetuis futuris temporibus ad solu-  
tionem unius medię librę Cereę albę laboratę in Urbe  
Romę in manibus pro tempore existent. Camerarij  
nostri faciendę, atque ad petendam, et obtinendam a  
nobis, et Successoribus nostris in perpetuum in singulis  
XV. Anno incipiendę a die datę litterarum hujusmodi  
earundem litterarum, et Concessionis confirmatio-  
nem, prout in primę litteris de Anno 1518 vos, et  
Successores vestros teneri volumus, et mandamus, in-  
juncto pretereā vobis, et Successoribus vestris onere, et



precepto, ut statim ac post receptas has nostras litteras  
 commodè fieri poterit, insignia lapidea ejusdem sacro-  
 sancte nostre Lateranensis Ecclesie in prospectu, vel  
 super Janua memorate Ecclesie Beate Mariæ Virgi-  
 niæ Lauretane, à vobis de novo edificate, quatenus ha-  
 tenus apposita non sint, apponere, seu apponi facere  
 debeatis, prout nos strictè apponi precipimus, et man-  
 damus. Non obstant. quibuscumque in contrarium fa-  
 cien. In quorum fidem, robur, et Testimonium,  
 has litteras presentes manibus Reverendissimorum  
 Dominorum Camerariorum, et Secretarij Canonorum  
 nostrorum subscribi, sigillique Capitularij Magni, quo in  
 talibus usimus, jussimus, et fecimus appensione muniri.  
 Datum Romæ apud Lateranum Anno Dni Nri Jesu Christi  
 1878 die 9 Januarij, Pontif. Smi in Xto Lary, et S. N. S.

Innocentii Divina Providentia Papæ XI. Anno ejus 2.  
 = Angelus Paraccianus sacrosanctæ Lateranensis Ecclesie  
 Canonius Camerarius = = Cum autem, sicut eadem

**K**

Reassumitur, et  
 prosequitur tenor  
 Brevis Sanctita-  
 tis sue

Expositio subjungebat, ipsi Exponentes post fundatam,  
 et extractam supradictam Ecclesiam, et confraterni-



tatem respectivè erectam, dotatamque nonnullis Cap-  
pallaniis, omnibus, et singulis Privilegiis ipsi Confraterni-  
tati concessis, ut præfertur, pacificè gavisì fuerint, et  
pro tempore existentes Sedis Apostolicæ in Portugaliis,  
et Algarbivum Regnis Nuncios tamquam Delegatos  
Apostolicos in eorum Judices recognoverint, nec ab Ordini-  
nariis Diocesanis ullam molestiam passi fuerint, præter-  
quam à Ben. Fratre moderno Patriarcha Lisbonen-  
Occidentali, qui brevi tempore sui Patriarchatus, et  
post ducentorum fere Annorum decursum ad hanc pa-  
cificam eorum possessionem subvertendam, ac ejusmo-  
di Ecclesiam, illique aggregatos suæ ordinariæ Ju-  
ridictioni subjiciendam, animum suum erexit, di-  
cti vero Exponentes præmissa, quò firmiter subsistant,  
et serventur exactius Apostolicæ Confirmationis no-  
stræ patrocinio communiri summopere desiderent.  
Nos specialem ipsi Exponentibus gratiam facere vo-  
lentes, et eorum singulares Personas à quibusvis  
Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, alijs-  
que Ecclesiasticis Sententijs, Censuris, et Legibus à Jure,  
vel

**L**

Præfertur, quod  
Confratres dicte  
Ecclesiæ Lauretan-  
næ à die fundati-  
onis recognoverunt  
in eorum Judices Nun-  
cios in Regnis Por-  
tugaliis, et Algar-  
bivum tamquam de-  
legatos Apostolicos,  
nec unquam fuerunt  
molestati ab Ordini-  
nariis Diocesanis



vel ab Homine quavis occasione, vel causa laty, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum presentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis in-

M

ordinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, et attenta relatione ven. Fratris Josephi Archiepiscopi Nicen. nostri, et Apostolicę sedis in supradictis Regni Nunciis super premissis ad eosdem Cardinales transmissa, omnia, et singula Privilegia, que in litteris preinsertis continentur, ipsasque litteras preinsertas auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicę firmitatis robur adjicimus. Decernentes, easdem presentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime

De providis sumis  
D. nostris de consi-  
lio S. Cong. Concilii  
Tridentini in  
forma specificis ag-  
probavit, et con-  
firmavit tam pre-  
insertas litteras,  
Parentes Capitu-  
li Caravanensis,  
quam supradictas  
litteras Apostoli-  
cas S. M. Leonis  
X., et Clementis  
VIII.



suffragari, sicque in premissis per quoscumque  
Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum  
Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri  
debere, ac irritum, et inane, si secus super hijs a quo-

**N**

Cum Clausula In-  
blata, et Decreto  
irritanti

cumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter  
contigerit attentari, non obstantibus Constitutioni-  
bus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non omni-  
bus, et singulis alijs, quę in preinsertis litteris con-  
cessa sunt non obstare, ceterisque contrarijs qui-  
buscumque. Datum Romę apud sanctum Petrum  
sub Annulo Piscatoris die 16 Aprilis 1726, Ponti-  
ficatus nostri Anno II.

J. Cardinalis Oliverius

Loco \* Sigilli

**O**

Reassumitur, et  
terminatur ex-  
tractio authenti-  
ca a proprio Ori-  
ginali hujus Bre-  
vii

Super quibus Ego Notus publicus infrascriptus  
presens Transumptum confeci, et subscripsi, ut  
perinde valeat, ac si essent litterę Origina-  
les.

Datum Romę die, et Anno suprascriptis pre-  
sentibus Testibus. In preinsertis litteris Apostolicis  
cum



cum Originali revisq concordant.

S. B. Riganti pro Officiali Deputato.

Card. Pro-Patavius

Loco ✠ Sigillis

Ita est P. Augustinus Rodriquer de Silva No-  
tarius Apostolicus.

Loco ✠ Signis =

Testor Ego infrus Canonicus Lateranensis, et Tabulario Pre-  
fectus prerens exemplum extractum fuisse ex suo Originali  
Typis impresso existen. in volum<sup>he</sup> signat. V. I. fol. 5. sum quo  
facta collatione concordare inveni. In quorum Fidem ex La-  
terano hac die 24 Septembrii 1785

Antoniij Camillei Andorilla Canonici Lateranensis Ta-  
bulario Prefectus

